

iura civitatis municipalia conscripta, quicumque propinatum vinum secundum quod maiistri^{dd} mensurae sibi preceperint et eam, [quam]^{ee} posuerint, non dederit, nec vas vini sibi iniciatum statim ad vasa eorum iniciaverit, marcam unam solvet civitati pro emenda. Et insuper, quotienscumque statutum huiusmodi aliquis propinantium verbo ex elato animo et indignanter seu inobedienter prolato coram maiistris mensura reclamaverit, totiens dictam marcam solvet civitati sine remissione qualibet pro emenda.

16.¹⁾ Rubrica ad requisitionem dictorum iuratorum Eywanczinensium de emendis responsum est. Item requisitis eisdem etc.: „Amici karissimi! Sicut a nobis quesivistis, utrum dominium civitas vel iudex²⁾ habeat emendas in causa etc. litera nostra presenti respondemus: quod principes nostri reges Bohemie a multis retroactis temporibus et marchiones Moravie omnes et singulas suas emendas gratiosius ob multiplicia servitia fructuosa ipsis exhibita, generaliter penitus et simpliciter pro bono utili incremento universitatis, iudici principaliter et civitati contulerunt et donaverunt, excepta sola emenda illa, que dicitur temeraria citatio, in vulgari dicta potwor, que adhuc principi extitit reservata. Insuper civitas non in omnibus emendis partem habet, sed in quibusdam. Item civitas in quibusdam casibus duas partes habet emendarum et iudex terciam. Item iudex etiam in quibusdam duas habet partes et civitas terciam, que omnia distincte et plane in libris nostris scripta lucidius continentur. Si vero hac gratia et prerogativa speciali privilegiati estis, vestra iudicet discretio industriosa. Sin autem, tunc iuxta modum locationis et conductionis iudicii, si forsitan dominium singulas emendas iudici vestro locaverit, secundum hoc se etiam dirigere poterit, vel saltem ad instar ritus et consuetudinis antiquitus tentos vos dirigatis. Sed apud iuxta predicta in presentibus casibus et emendis lesio³⁾ seu vulnera se habent et in aliis emendis nominatim postea expressis iudex duas partes et civitas unam partem obtineret. Videlicet, qui noctis tempore iuratum hospitem presentibus iuratis precipientibus ipsis pacem et suos coadiutores vulneravit, ita quod exceptis emendis vulnerum alie emende [solvende sunt]⁴⁾, ideo, quod reverentie iurati hospitis non pepercit et aliis.“

17.²⁾ De occisione cuiusdam. Item idem iurati scripserunt sic³⁾: „Quod quidam homo probus tempore noctis circa eos, proch dolor⁴⁾ ! est occisus. Pro quo a iudice et iuratis ad hoc vocatis tres etiam probi viri cum armis eorum non evaginati sunt detenti. Quorum unus, Miksso

^{dd}) Hs. Schreibung häufig für gi. ^{ee}) quam fehlt in Hs.

¹⁾) Hs. lesis. ²⁾) Fehlt in Hs., oder etwas Ähnliches.

¹⁾) S. o. S. 472.

²⁾) S. o. S. 448.

³⁾) Eingangsformel fehlt hier, zunächst indirekte, dann direkte Rede.

⁴⁾) Ausruf im Schb. c. 40.